



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

xvi [i.e. i]. Spirituales verò ejus operationes in sola anima informativè &
inhæsivè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

men hîc observandum , quòd intellectio uniatur animæ , quæ est in pede , non uniatur tamen illi , ut est in pede , sed in cerebro , in quo recipitur phantasma.

DISSERTATIO SECVNDA

De Potentiis Animæ in genere & in specie de sensibus, sensibili & speciebus.

I. **P**otentia Animæ aliæ sunt non intentionales, quæ producunt tantum terminum absque eo , quòd tendant in objectum aliquod, ut vegetativa, nutritiva, locomotiva : aliæ intentionales, quæ producendo terminum, per illum tēdunt in objectum, cognoscendo vel appetendo illud. Harum aliæ sunt sensitivæ, ut sensus externi, & unus internus seu phantasia , cui subordinatur potentia appetitiva sensitiva : Aliæ rationales, ut intellectus & voluntas. Intentionalium potentiarum iterum aliæ dicuntur organicae & materiales , quæ vel inadæquatè constituuntur per organa , vel ab iis tanquam

quam concausis, aut saltem tanquam conditionibus & dispositionibus in operando dependunt, sive ipsæ entitativè sint spirituales, ut est potentia visiva hominis, sive materiales, ut est potentia visiva bruti: aliæ inorganicæ & spirituales, quæ non habent tantam cum organo corporeo connexionem quò ad exercendas suas operationes, adeoquè comitantur animam, & exercent suas operationes etiam pro statu separationis animæ à corpore, ut intellectus, voluntas.

II. Potentiæ vitales, saltem in homine, non sunt qualitates entitati animæ superadditæ, & veluti proprietates ab ea immediatè profluente, sed omnes, tam organicæ, (non quidem adæquatè sumptæ simul cum organo, sed spectatæ, quatenus sunt in anima) quàm inorganicæ sunt ipsa substantia animæ, quatenus hæc ob diversa munia, quæ dependenter vel independenter à sensibus exercet, nunc intellectus, nunc voluntas, nunc visus, nunc auditus dicitur, juxta illa S. Aug. *sensus unus est in anima, & quidem ipsa, verumtamen propter varia variè vocatur: dicitur namquæ sensus, imaginatio, intellectus, & hæc omnia in anima nihil aliud sunt, quàm ipsa*